

# P R A E F A T I O

## Ad Lectorem.



Abes hic, benevole Lector, quam dudum et nos promisimus, et tu desiderasti, Historia Westfalicæ à p.m. P. Nicolao Schaten S.f. ante hac conscriptæ, et anno M.DC.LXXX. publico bono editæ continuationem; tametsi enim alter hic tomus inscribatur Annalium Paderbornensium Pars prima, non tamen in hac parte aliud proponitur, quam quod à Caroli M. obitu, in Paderbornensi Diœcesi et reliqua Westfaliae provincia gestum est, dignumq; occurrit, quod literis posteritati commendaretur. Licet etiam pars hæc Paderbornensis historianominetur, noluit tamen auctor iisdem, quibus Paderbornensis Diœcesis finibus circumscribitur, Annales suos terminis incingere; sed cùm præcipue Antistitum Paderanorum genus, electionem, administrationem, obitum, aliaque præclarè ab iis acta latiñs, ut datum fuit, prosecutus est; tum non leviter plerumque attigit res gestas ceterorum Westfaliae Præsulum, aliorumq; Virorum vel egregiæ virtutis famâ, vel bellicâ fortitudine, vel religiosâ munificentâ, vel denique aliorum eximiè factorum gloriâ celebrium, dignorumque, qui posteris in exemplum proponerentur. Nec hoc solum, latiñs subinde excurrendo, quid Moguntini præsertim Antistites, suis quilibet temporibus egerint, historiae suæ modicè inspergit, ratus, cùm Carolus M. hanc ad Paderam Diœcesin Moguntinæ sedi subjicerit, non incongruum fore, si, datâ commodâ occasione, inter subiectorum commemorationem Antistitum, Metropolitanorum etiam Præsulum memoria celebraretur. Denique frequens in hac historia mentio est Pontificum, Imperatorum, Ducum et Principum, quam ut faceret auctor, motus fuisse videtur, quod jejuna nimis et multis locis abrupta historia prodiisset, si eatantum in lucem fuissent data, quæ hanc solummodo patriam concernunt. Adde quod et minus accepta fuisset, si non egressa è finibus suis, et plures Germaniæ partes complexa, latiorem nomine suo materiam rerumq; gestarum narrationem curioso hoc ævo lectori subministrasset. Nec tamen ita hac in re evagatur auctor, ut absque delectu arripiat proferatq; quæ extra Westfaliæ gestæ comperit, sed prudenti ea judicio selegit, quæ connecti aliquâ ratione videbantur cum his, quæ proprio ad Westfaliæ et diœcesin Paderbornensem jure spectabant. Ita quos sibi præscriperat limites videri non potest fuisse transgressus. Unum tandem, antequam ad annalium horum lectionem te dimittam, monere te debeo, deprehensurum te in libro eorundem primo annos aliquot admodum steriles, maximè ab anno 801, à quo transilitur statim ad annum 813; cuius rei causa non est, quod nulla pro his suppeditata fuerit materia; sed quod in præcedenti tomo diffusè satis ea explicata fuerint, opera pretium non fuit, illa hic repetere; quo enim anno 814 Carolus M. ad superos abiit, prioris tomi narrata concluduntur; ac licet initio hujus tomi aliqua ex præcedentibus recolantur, caque referantur, quæ alias fuerant omessa; diffusior tandem rerum subsequentibus temporibus gestarum narratio non incipit, nisi ab anno 814, à quo propriè prioris tomi acta continuantur. Vale et fruere.

COPIA